

trahere, et dissimilibus ingeniis mentes coaptare domesticas, sed molestius longe, crede, multoque acerbius reproto inter gentes appellatione domesticas mores barbaros invenire, et ubi natura mitior esse debuit, sevior conversatio habeatur. Multa etenim se offerunt apud nostros implacida, quorum et reminisci potes, et licet longe positus vides, non ambigo, velut presens, si quidem et cogitationes vane, et suspectus insomnes, et ineptie pueriles quotidie in oculis site sunt, quibus et involvi et vexari assidue est necesse. Quid plura? Ego enim, ut ex pleno et extuanti pectore pauca expediam, minus reproto barbaros Indos et Arabes atque Scitas, quam hos, qui in urbibus nostris nati licet et creti, nil preter appellationem hanc frivolam de urbanitate et moribus in se tenent. Sic igitur 30 cuncta preponderans que multo veniunt examinanda libramine, tollerabilius iudica alienis pungi sentibus in remotis, externasque clades quantuncunque molestas perpeti, quam inter proprios lares hisdem malorum aculeis perurgeri. Et quoniam versari ulterius in materia ista tedium michi est, hoc tandem ad summam teneto, quod inter varias pestes orbis, quarum infinitus est numerus, nil familiaribus viciis erroribusque domesticis indignantius patior in hac luce. Preteri igitur utcunque permittitur, et si apud dilectum tuum vis aliquid credi, nunquam te audiam simillibus indulxisse querellis. Et vale.

24.

*Epistola eiusdem domini Pauli de Bernardo ad dominum
Franciscum de Lanzenigo.^{a)}*

[Vat. cc. 112 r-113 r].

Ab olim avidus et silentii et quietis, ut mos est nature inertis ac languide, nil tibi hactenus scripsi, etsi iocunde littere tue que plures ad me delate sunt, ex quo patria abisti, et communis amicus Gasparinus canonicus cum redisset ad partes, me ad id frequentius

²⁵ vexare *cod.*

^{a)} Cfr. a pagg. 2, 76, 76-81, 85, 151, 152.